Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.
Wien, 1800 Seite 1749
Quelle:
Copyright:

quens & scribens formaui & suggessi uobis — uerba & sensum orationum, quas ad deum mitteretis &c. his vero Literis *ad magnam fidem* Centurionis evangelici exemplo informat. Latine doctas fuisse oportet has Virgines, et, ut puto, *Admontenses* in *Styria*, de quibus infra.

Fol. 56. Incipit Defloratio SS. Patrum varii argumenti, et quidem ab *Johanne Chrys.* de Poenitentia: *Dilectissimi, una nobiscum omnes suscipite in precordiis uestris misericordiam domini nostri dicentis: Penitentiam agite* &c. Multiplicis lectionis fuisse Coenobitam hunc liquet, ita undique pias et memorabiles Antiquorum sententias congessit. Intercurrunt tamen etiam *foll.* 135 et 150. binae Epistolae. Prior incipit: *Rogas et rogando cogis filia in christo karissima, ut quoniam sororibus admontensibus aliqua scripsi de illa iustificatione dei, qua dicitur in sermonibus suis iustificari iuxta illud, ut iustificeris in sermonibus tuis, etiam tibi aliquid scribam de illa dei uictoria, de qua deo dicitur, & uincas, cum iudicaueris.* Hunc igitur locum praeclare exponit. Altera incipit: *Karissimis in christo sororibus admontensibus Fr. N. Deuotam orationem et perpetuam in christo dilectionem. Jocundissimis uestris inquisitionibus non potui ad plenum satisfacere coartatus eundi festinatione* &c. et est illa, ad quam praecedens provocat. De Parthenone *Admontensi* legi merentur, quae habet *Irimbertus* loci Abbas a. 1177. defunctus in *Narratione de Incendio* sui Coenobii T. VIII. *Biblioth. Ascet.* solertissimi *Bern. Pezii* p. 455. ubi, ne dubites Epistolas latinas a Virginibus illis intellectas fuisse, §. XIV. dicitur: *Valde quippe sunt litteratae, et in scientia sacrae scripturae mirabiliter exercitatae.*

DCCXXVII.

Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. 114. 12. luculente et probe perscriptus, rubricisque distinctus plura pia *Thomae Kempensis* continet Opuscula, quorum Seriem collatam cum Editione *Opp. omn. Coloniae* 1728. 4. hic exhibeo. *Deuotus libellus Thome kempis de disciplina claustrali.* Praevio *Capp.* Elencho incipit: *Apprehendite disciplinam* &c. et habetur Edit. *cit.* T. II. p. 131. R. 646

Fol. 51. p. 2. *Incipit libellus spiritualis exercicij de fervida exhortatione ad virtutes.* Ita: *Renouamini autem spiritu* &c. *Exercitia spiritualia* inscripsit *Henr. Sommalius* edit. *cit.* T. II. p. 198. Praeeunt etiam hic Capita.

Fol. 74. *De recognitione proprie fragilitatis.* Ita: *Cognoui domine quia equitas* &c. ut T. *cit.* p. 243. Praeeunt Capita.

Fol. 88. *De mortificata vita pro cristo.* Initium: *Gloriosus apostolus paulus* &c. T. *cit.* p. 270. inscribitur: *De mortificatione sui ipsius.*